BERNARDUS CLARAEVALLENSIS
12. bis 13. Jh. Seite 75v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26263
Copyright: Admont, Benediktinerstift



habere monachus. qui has sordes negligit. fecundi-
tatem non habebit. Hec sunt sordes et stercora. que ponebat pater noster benedictus in confessione ficulnee ut
fecundaret. De eodem alibi dicitur. De stercore boum
lapidabitur piger. quia qui piger est in his. non consequetur
fructum. Ecce uos estis asinus plenus panibus et hedus
sumptus de capris. quos tulit ysai. i. pater noster benedictus.
et per manum filii sui sauli misit. Cuius consilium est deliberatio. Prius enim deliberauit regulam et rigorem ordinis nostri.
et post in scripto redegit. quod scriptum est manu filii. et
per manum hanc filii sui. uos sauli. i. morti misit. quia
non licet uobis transgredi que in scripto reliquit. Vos
qui iam mortui estis mundo. commoriamini xpo quem
misit pater ad moriendum pro populo. Vt tamen occurramus
ei obuiam in aera accepturi benedictionem eternam ab eo.
quando uenerit ipse iudex noster ihesus xpus iudicare uiuos et
mortuos. et seculum per ignem.

xx.

Singuli singulos acceperunt denarios. Verba
prelocuti sermonis sunt euangelica assertione saluatoris. apostolica fideles autentica. quia licet quodam dicendi genere.
sint parabolica. non minus transferuntur et sunt ueridica.
sed cum diuersi labore dispari laborauerunt in uinea.
Ordo primus a mane. quasi ab aurora. ordo secundus ab
hora diei tercia. tercius a sexta. quartus a nona. quintus
ab undecima. Merces tamen omnium fuit singulis et
una. Singuli enim singulos acceperunt denarios. ano-